

veniat similiter super equo, portans in manibus cuppam, seu scyphum argenteum, ponderis duodecim marcarum, coopertum, aqua & vino permixtum impletum, & descendens de equo, scyphum ipsum Imperatori, vel Regi Romanorum porriget ad bibendum.

Sicut autem hactenus observatum fuisse comperimus, ita statuimus, ut per actis per Principes Electores Seculares, praedictis ipsorum officiis, ille de Falckensteyn Subcamerarius, equum & pelves Marchionis Brandenburgensis, pro se recipiat, magister coquinæ de Nortemberg, equum & scutellas Comitis Palatini; Vicepincerna de Lymburch; equum & scyphum Regis Bohemiæ; Vicemarscalcus de Pappenheim, equum, baculum, & mensuram praedictam Ducis Saxoniz; si tamen ipsi in tali Imperiali curia praesentes existant, & eorum quilibet in officio suo ministret: si vero ipsi, vel eorum aliqui à praefata curia se duxerint absentandos, extunc Imperialis vel regalis curiæ quotidiani ministri vice absentium, puta, quilibet in loco ejus absentis, cui in vocabulo, seu in officio communicat, sicut gerit officium, sic tollat in praemissis & fructum.

Imperialis insuper mensa vel regia sic debet aptari, ut ultra alias tabulas aulæ, siue mensas, in altitudine sex pedum sit altius